

ANNOTATIONES.

MEDEAE v. 41. (Barn.) Hic versus in libris repetitur infra 379., ut et quinque aliis huius fabulae locis versus iidem recurrunt. Et utrisque quidem in locis a poeta scriptos non esse convenit inter interpretes; sed utris sint, non de omnibus omnes consentiunt. Hunc quidem priori loco delendum, servandum posteriori censuit Musgravius, cui assentiuntur Brunckius et Elmsleius. Contra sentiunt Valckenarius, Piersonus et qui vanissimas dicit Musgraviū rationes Matthiae. Neget igitur qui poterit Medae nihil plane caussae fuisse quamobrem in suam domum *σιγῆ* irreperet, id quod recte observavit Musgravius. Omnino molesta hic et odiosa est accurata illa descriptio loci quo in gladium incubitura sit Medea: quod ubi factura esset sciri nunc nec poterat nec quicquam intererat. Non minus recte Musgravius iudicavit de versibus 1062. 1063. repetitis 1241. 1242., tametsi neminem praeter Piersonum secum consentientem habet. Atqui apertum est non posteriori sed priori loco interpolatos esse, ut similes versui qui sequitur 1064. *πάντως πέπρωται ταῦτα κούκ ἐκφεύξεται*, inani pene futuro, nisi illi deleantur. Ab hoc autem similia inter se componendi studio omnes illas eorundem versuum iterationes ortas esse, qui locos istos considerarit, facile intelliget.

V. 637. *μηδέ ποτ'*. Scribebatur *μηδέποτ'*. Sed talia vix operae pretium enumerari.

V. 865. Recte, puto, Hermannus *ἐντλάμονι θυμῶ* pro *ἐν τλάμονι*. Idem vitium occupavit plerosque libros Aeschyli Persis v. 28..

V. 1409. *τάδε καὶ θρηνηῶ κἀπιθοάζω μαρτυρόμενος δαίμονας*. Verbum *ἐπιθοάζειν* eadem qua hic ὄpus est significatione positum ab Aeschylo Choephoris v. 843.. Quae tamen non satis apparet quomodo ei per originem abs qua derivatur conveniat. Itaque Blomfieldus ad locum Aeschyli utrobique *ἐπιθεάζειν* reponendum esse suspicatur collato Thucyd. VIII. 53. *Εὐμολπιδῶν*